DE ADUENTU SANCTI SPIRITUS ANTONII PAULI ORATIO HABITA IN SACELLO PONTIFICIO...

Antonio Paoli, Valenti Gonzaga,
Cornelio Francescucci

Digitized by Google

ILLVSTRISS. PRINCIPI

SILVESTRO ALDOBRANDINO

S. ROM. ECCLESIAE CARDINALI TT. S. CAESARII.

ANTONIVS PAVLVS FELICITATEM D.

PRAECLARE *quidem Gregorius ille ter maximus Arcturi nomine, qui in cæli arce conſtitutus ſeptem ſtellarum radijs fulget, vniuerſam dixit* Eccleſiam *ſignificari, quæ totidem ornata muneribus, veluti ſempiternis ignibus, mirifice ſplendet. Quod tamen ſapientiſsima Gregorij ſententia cæleſtibus tribuitur donis, id iure optimo noſtris temporibus licet etiam de alijs ampliſsimis ſyderibus vſurpare, quorum feliciſsimo circuitu* Eccleſiaſticus *(vt ita dicam) orbis illuſtratur, ac regitur. Hanc igitur Orationem Tibi,* SILVESTER ALDOBRANDINE, *potiſsimum dedico, tum quia ſplendidiſsimum es huius tempeſtatis ſydus, tum ob inſignem plurium linguarum peritiam,*

Digitized by Google

quæ te in ætate tam tenera plus quam ipſa purpura admirabilem reddit: quinimmo non exiguum argumentum præſtat (ſi ex humanis coniectura capienda eſt) hoc eſſe munus illius immenſæ, diuinæque liberalitatis, cuius diuitijs Eccleſiæ principes ſub ignearum forma lin guarum ſunt abundantiſsime locupletati. Ergo ea *quæ ſoles innata benignitate accipe quod tuum eſt, vt idem clariſsimum ſit monimentum humanitatis Tuæ, & pignus meæ erga humaniſsimum* Patronum *non ingratæ voluntatis. Vale.*

ORATIO.

TANDEM aliquando, Beatiſſime Pater, diuina [a] pol- a Ioel. 2. Ioan. 14.
licitatione promiſſus, ac diu [b] exoptatus illuxit dies, 15. 16.
quo & humanæ redemptioni ſuprema imponeretur b Act. 1. & 2.
manus, & naſcentis Eccleſiæ, non ſecus ac [c] primi pa- c Geneſ. 2.
rentis, corpus ab ipſo Deo formatum vitali, diuinoq;
ſpiritu animatū ſeſe attolleret cum maxima Synagogæ iam iam ca-
dentis labe, atque fœdiſſimo immaniſſimi ſerpentis interitu. Ad-
eſt igitur in præcipuis ſacris veneranda celebritas ſacroſanctis inſi-
gnita myſterijs, ſiue donorum numquam alias tam effuſam vber-
tatem, ſiue eius, quod datur, admirabilem, incomprehenſam, at-
que omni ex parte diuinam excellentiam, ſiue tempus quo datur
cogitemus. Nam quod tempus [d] magis aptum reperiri potuit, quam d Act. 2.
id, quo confluentibus vndique terrarum populis, celeberrima ce-
rimoniarum pompa, [e] quinquageſimus poſt imolationem Agni e Exod. 19 & 33.
ſummo rerum omnium Parenti conſecrabatur dies ob legem lapi-
deis inſcriptam tabulis ab ipſo in monte Syna donatam? Vt omni-
bus innoteſceret, [f] initia veteris Teſtaměti Euangelicis miniſtraſſe f S. Leo. ſerm. 1. Pentec.
principijs, & gratiam denunciatam eſſe per legem, & legem imple
tam eſſe per gratiam. Quæ dies accommodatior Dominica, vt ea-
dem eſſet renouationis, quæ fuerat [g] creationis? Cum enim hæc to- g Gen. 1.
tius orbis pulcherrima facies à Deo ſapientiſsime deſcripta nefa-
rijs hominum peccatis quotidie magis fœdaretur, ac humanum
genus tetra Tarterei monſtri tyrannide teneretur oppreſſum, diui-
nus opifex è cælo miſſus eſt, vt iterum terrarum formam ſua vir-
tute reficeret, & homines depulſa tyrannide in priſtinam liberta-
tem ac ſimilitudinem reuocaret. Cecinit hoc diuinus vates, hoc vo
luit diuina [h] ſapientia, cum ſancti Spiritus illapſu repletum terra- h Sapien. 1
rum orbem dixit, & [i] liquefactam eſſe terram, & [k] renouatam. Non i Pſal. 74. k Pſal. 103
potuit enim eo tempore Spiritus Dei in homine permanere, quia
per peccatum excelſa illa ſimilitudo perierat, & admirabilis illa
imago erat turpiſſime deprauata, vtque vnica diuinaque ratione l Geneſ. 6.
complectar omnia, [l] quia caro erat. Nunc vero [m] poſtquam per paſ- m S. Bern. ſerm. 2.
ſionem Chriſti morientis omnis eſt peccati abluta labes, per ma- Pentec S.
gnificentiam reſurgentis caro purgata, per gloriam aſcendentis na- Leo ſerm. 2. Aſcenſ.

 turæ

turæ noſtræ demiſſio, & imbecillitas humanitatis ſuper omnem cę li militiam, ſuper omnes ordines Angelorum, & omnium ſublimitatem Poteſtatum, vſque ad ipſius præpotentis Dei ſolium euecta; cæleſtis amor è cælo delabitur, qui ſit nobis certiſſimum hæreditatis pignus, firmiſſimum vitæ robur, clariſſimum ſcientię lumen. Neque potuit ad hoc munus obeundum aptior mitti perſona. Erat vt diximus rerum omnium renouanda forma, & hominibus iterum diuina reſtituenda ſimilitudo: at diuinus Amor excellentiſſimus artifex, & pictor eſt, vt præclare teſtatur totius Theologiæ ſacrarium Auguſtinus, & ſacroſancta confitetur Eccleſia.

Dextræ Dei tu digitus.

Erat humana diuinæ concilianda natura, & inter mortales repellenda humanæ felicitatis inimica diſcordia: ipſe eſt indiuiduæ illius vnitatis, ęqualitatiſque concordia ſempiterna, Filij Patriſque connexio, æternus ab vtroque proceſſus, ſpirans amor amborum, ſuauiſſimum vinculum charitatis. Ipſe eſt de quo idem Auguſtinus, ait: *Eſt ineffabilis quidam complexus in illa Trinitate non genitus ſed genitoris, genitiq. ſuauitas, ingenti largitate perfundens omnes creaturas pro captu earum.* Erat denique myſticum hoc Eccleſię corpus ſuo capiti coniungendum, anima vna, cor vnum, vna omnium credentium efficienda voluntas. Cum autem nihil creatum ſit vnum in diuerſis corporibus, oportuit, vt hæc tam admirabilis vnitas, atque omnibus ex partibus abſoluta conſenſio fieret, ab amore increato, qui ſolus perfectam vim habet copulandi: & ſicut anima diuerſarum corporis partium, ita ipſe omnium animorum eſt vita communis. Hæc ei proprietas, & [a] Ezechielis vaticinio tributa eſt: *Dabo inquit vobis ſpiritum, & viuetis.* Et vetuſtiſſima Eccleſiæ voce decantata, cum eum in ſymbolo fidei quotidie viuificãtem appellat. Quinimmo,[b] vt ſacroſancta Tridentina ſynodus diuinitus ad veritatem inſtructa declarat, anima hoc vinculo cum Deo coniuncta magis viuit, quam corpus animæ coniunctione alitur, & ſuſtinetur. Quatuor enim potiſſimum rebus excellens humani ſtructura corporis continetur, vnitate, calore, motu, decore. Ea quippe eſt animæ vis, atque natura, vt ipſa ſortita corporis dominatum, & in ſummo capite præcipuę collocata, tamquam in cælo Deus, membrorum hanc multiplicem varietatem in admirabilem ſeriem, & ordinem congerat; congeſtam autem, & colligatam diſtinctis veluti riuis, & vitalibus

a Ezec. 37.

b Cathec. in Symb fidei. v. viuif.

ſuccis

ſuccis à perenni cordis fonte ductis irriget, irrigatam minimo nutu vbique præſens, vbique diffuſa formet. Ac denique quod iucundius ceteris omnibus viſu eſt, lineamentis exornat, condecoratque pulcherrimis. Quod ſi in hac mortali, & caduca mole ex terreſtri materia compacta, propter inſitum animum neſcio quid elucet diuinitatis: qualem putamus animorum noſtrorum eſſe venuſtatem ex quorum vniuerſitate, & connexione myſticum Eccleſiæ corpus vitaq. perficitur, cum eum habeamus veluti communem ſpirrtum, quo vegetante viuimus, mouemur, ac ſumus? Nihil ergo abiectũ, & humile cogitandum eſt, nihil fluxum, & caducum, ac penitus humanum nihil; excitandi, & extollendi ſunt animi vt aliquid magnificẽtius de tam amplo Dei opificio ſentiamus. Qua vero ratione admirabilis ille nexus vbique terrarum ſparſa membra coniunxerit, & in hanc redegrit feliciſſimam conſenſionem, aperuit nobis diuinorum conſiliorum interpres Paulus: cum indiſſolubilem nodum ex cohærentia Chriſti ex habitatione vnius, & eiuſdem ſpiritus, ac denique ex noſtri cordis charitate, hoc eſt, ex ampliſſimo ipſius diuini ſpiritus munere procedentem [a] ſæpe demonſtrat. Rogauerat ſummus ille humani generis liberator Patrem ſuum, antequam hortum ingreſſus perſequentibus ſe tamquam victimam immolãdam traderet [b], vt eos quos ſibi cuſtodiendos cõmiſerat, iam cuſtoditos protegeret, & quo ad fieri poſſet ad ſimilitudinem illius incomprehenſæ diuinæque naturæ vnum ac idem efficeret: *Pater ſancte*, inquit; *Serua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, vt ſint vnum ſicut & nos*. Et paulo poſt: *Non pro eis autem rogo tantum, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint.* Quid autem toties ingeminatæ preces agebant, quid poſtulabant niſi vt Eccleſiæ corpus formaretur, atq; eo contineretur nexu, qui eſt ſummi parentis, filijque coniunctio? Annuit Parens Filij votis: diuiſerat enim ſibi hoc opus miſericordia Trinitatis, [c] vt Pater propiciaretur, Filius propiciaret, Spiritus ſanctus igniret. Chriſtum [d] ergo dedit caput ſuper omnem Eccleſiã, quæ eſt corpus ipſius, vt [e] nos omnes vnum eſſemus in Chriſto, & ipſe indiuiſus [f] nobiſcum eſſet vſque ad conſummationem ſæculi. Verum, quia oportebat, vt qui tanti capitis membra futuri eſſent eius intelligerent dignitatem, exoptarent copulationem, obſequerentur imperio: Ecce continuus ignis ab eo procedens, veluti

rius

a Epheſ. 3. Rom. 8. 1.Corint. 6. & 12.

b Ioan. 17.

c S. Leo. ſerm. 3. Pentec.

d Epheſ. 1.

e Coloſſ. 3.

f Matth. 28

turæ noſtræ demiſſio, & imbecillitas humanitatis ſuper omnem cę li militiam, ſuper omnes ordines Angelorum, & omnium ſublimitatem Poteſtatum, vſque ad ipſius præpotentis Dei ſolium euecta; cæleſtis amor è cælo delabitur, qui ſit nobis certiſſimum hæreditatis pignus, firmiſſimum vitæ robur, clariſſimum ſcientię lumen. Neque potuit ad hoc munus obeundum aptior mitti perſona. Erat vt diximus rerum omnium renouanda forma, & hominibus iterum diuina reſtituenda ſimilitudo: at diuinus Amor excellentiſſimus artifex, & pictor eſt, vt præclare teſtatur totius Theologiæ ſacrarium Auguſtinus, & ſacroſancta confitetur Eccleſia.

Dextræ Dei tu digitus.

Erat humana diuinæ concilianda natura, & inter mortales repellenda humanæ felicitatis inimica diſcordia: ipſe eſt indiuiduæ illius vnitatis, ęqualitatiſque concordia ſempiterna, Filij Patriſque connexio, æternus ab vtroque proceſſus, ſpirans amor amborum, ſuauiſſimum vinculum charitatis. Ipſe eſt de quo idem Auguſtinus, ait: *Eſt ineffabilis quidam complexus in illa Trinitate non genitus, ſed genitoris, genitiq; ſuauitas, ingenti largitate perfundens omnes creaturas pro captu earum.* Erat denique myſticum hoc Eccleſię corpus ſuo capiti coniungendum, anima vna, cor vnum, vna omnium credentium efficienda voluntas. Cum autem nihil creatum ſit vnum in diuerſis corporibus, oportuit, vt hæc tam admirabilis vnitas, atque omnibus ex partibus abſoluta conſenſio fieret, ab amore increato, qui ſolus perfectam vim habet copulandi: & ſicut anima diuerſarum corporis partium, ita ipſe omnium animorum eſt vita communis. Hæc ei proprietas, & [a] Ezechielis vaticinio tributa eſt: *Dabo inquit vobis ſpiritum, & viuetis.* Et vetuſtiſſima Eccleſiæ voce decantata, cum eum in ſymbolo fidei quotidie viuificatem appellat. Quinimmo, [b] vt ſacroſancta Tridentina ſynodus diuinitus ad veritatem inſtructa declarat, anima hoc vinculo cum Deo coniuncta magis viuit, quam corpus animæ coniunctione alitur, & ſuſtinetur. Quatuor enim potiſſimum rebus excellens humani ſtructura corporis continetur, vnitate, calore, motu, decore. Ea quippe eſt animæ vis, atque natura, vt ipſa ſortita corporis dominatum, & in ſummo capite præcipue collocata, tamquam in cælo Deus, membrorum hanc multiplicem varietatem in admirabilem ſeriem, & ordinem congerat; congeſtam autem, & colligatam diſtinctis veluti riuis, & vitalibus

a Ezec. 37.

b Cathec. in Symb. fidei. v. vi uiſ.

 ſuccis

ſuccis à perenni cordis fonte ductis irriget, irrigatam minimo nutu vbique præſens, vbique diffuſa formet. Ac denique quod iucundius ceteris omnibus viſu eſt, lineamentis exornat, condecoratque pulcherrimis. Quod ſi in hac mortali, & caduca mole ex terreſtri materia compacta, propter inſitum animum neſcio quid elucet diuinitatis: qualem putamus animorum noſtrorum eſſe venuſtatem ex quorum vniuerſitate, & connexione myſticum Eccleſiæ corpus vitaq. perficitur, cum eum habeamus veluti communem ſpirrtum, quo vegetante viuimus, mouemur, ac ſumus? Nihil ergo abiectū, & humile cogitandum eſt, nihil fluxum, & caducum, ac penitus humanum nihil; excitandi, & extollendi ſunt animi vt aliquid magnificētius de tam amplo Dei opificio ſentiamus. Qua vero ratione admirabilis ille nexus vbique terrarum ſparſa membra coniunxerit, & in hanc redegerit feliciſſimam conſenſionem, aperuit nobis diuinorum conſiliorum interpres Paulus: cum indiſſolubilem nodum ex cohærentia Chriſti ex habitatione vnius, & eiuſdem ſpiritus, ac denique ex noſtri cordis charitate, hoc eſt, ex ampliſſimo ipſius diuini ſpiritus munere procedentem [a] ſæpe demonſtrat. Rogauerat ſummus ille humani generis liberator Patrem ſuum, antequam hortum ingreſſus perſequentibus ſe tamquam victimam immolādam traderet [b], vt eos quos ſibi cuſtodiendos cōmiſerat, iam cuſtoditos protegeret, & quo ad fieri poſſet ad ſimilitudinem illius incomprehenſæ diuinæque naturæ vnum ac idem efficeret: *Pater ſancte,* inquit; *Serua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, vt ſint vnum ſicut & nos.* Et paulo poſt: *Non pro eis autem rogo tantum, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint.* Quid autem toties ingeminatæ preces agebant, quid poſtulabant niſi vt Eccleſiæ corpus formaretur, atq; eo contineretur nexu, qui eſt ſummi parentis, filijque coniunctio? Annuit Parens Filij votis: diuiſerat enim ſibi hoc opus miſericordia Trinitatis, [c] vt Pater propiciaretur, Filius propiciaret, Spiritus ſanctus igniret. Chriſtum [d] ergo dedit caput ſuper omnem Eccleſiā, quæ eſt corpus ipſius, vt [e] nos omnes vnum eſſemus in Chriſto, & ipſe indiuiſus [f] nobiſcum eſſet vſque ad conſummationem ſæculi. Verum, quia oportebat, vt qui tanti capitis membra futuri eſſent eius intelligerent dignitatem, exoptarent copulationem, obſequerentur imperio: Ecce continuus ignis ab eo procedens, veluti

a Epheſ. 3. Rom. 8. 1. Corint. 6. & 12.

b Ioan. 17.

c S. Leo. ſerm. 3. Pentec.

d Epheſ. 1.

e Coloſſ. 3.

f Matth. 28

riuus

Digitized by Google

riuus diffuſus à fonte manat, qui lumen mentibus affert, deſiderium excitat, vires infundit: illuſtrat, vt videamus, prouocat vt velimus, roborat vt bona, quę volumus, ſine formidine expleamus.
a Act. 2. Hoc hodie Apoſtolorum princeps [a] eiuſdem ſancti Spiritus vna cum ſocijs repletus afflatu, & ardore inflammatus non ſolum verbis oſtendit; verum etiam rebus comprobauit. Poſt quam enim multa de Chriſto inuſitato animi robore, & inaudita ſapientia diſſeruit ad extremum orationis. *Dextera igitur, inquit, Dei exaltatus, & promiſſione ſancti Spiritus à patre accepta effudit hunc, quem vos videtis, & auditis.*
b Matt. 10. Non [b] enim ipſi loquebantur Apoſtoli, ſed ſpiritus Dei per ipſos;
c 1. Cor. 6. non ipſorum erant tam admirabiles resgeſtæ, quorum [c] membra iam erant ipſius ſancti Spiritus domicilium, ac ſedes: non denique muſto erant pleni, ſed diuino poculo ebrij, qui ante oculos poſita contemnebant, & ad ea, quæ ſunt ab hac rerum vniuerſitate ſemota, & abſcondita incredibili mentis ardore rapiebantur. Quo enim pacto potuiſſent ante conſpectum infinitæ propemodum multitudinis, ex omnium gentium colluuione miſtæ, eius prædicare gloriam, quem paulo ante à Iudęis captum, timore perterriti comitari auſi non fuerant? En Petrus Synagogæ totius frementis aſpernatur ſæuitiam, qui in Caiphæ domo timuerat Sacerdotis ancillam. Quid eſt quod pauperes, & abiecti, viribus imbecilles, ac tenues, amicorum omnium copia deſtituti, cuiuſvis ſcientiæ, & facultatis expertes, Philoſophorum opiniones euertunt, ſtultam mundi ſapientiam efficiunt, tyrannorum vaſtam potentiam, & efferatam immanitatem deſpiciunt, dæmonum cultus, & inſtituta diſſoluunt, ac denique multis gentibus in vnitatem fidei, nulla habita exceptione nationum, vocatis, Chriſti Regno incredibili celeritate ipſis
d Pſal. 44. terræ finibus terminato, totius imperij ſunt [d] Principes conſtituti? Non alius profecto eſt tam excelſi operis auctor, quàm diuina ſapientia, quæ vbi magiſtra eſt quàm citiſſime diſcitur quod ipſa nos docet, & numquam otioſus eſſe poteſt ſermo docentis. Significat ignitum Apoſtolorum eloquium, quorum vbi audita vox eſt tamquam Euangelica tuba ab ignorantię tenebris, & ſomno homines
e Act. 2. excitati [e] *Compuncti ſunt corde*, & auidi libertatis ſub Eccleſiæ vexillum ſe receperunt. His igitur iactis Fidei fundamentis, ne membrorum hæc inutilis eſſet conglutinatio, corpuſq. viribus deſtitutum veluti mortuum iaceret, ſpe hæreditatis noſtrę confirmata da-

tum

tum eſt ampliſſimum donum charitatis, [a] quæ diffuſa in cordibus vicem ſanguinis ſuſtinens, & ipſius Sancti Spiritus iucundiſſimum eſſet pabulum, & quaſlibet corporis partes ad bona peragenda roboraret. Sicut enim, feruido ſanguinis humore deficiente, anima recedit à corpore, conſumpto oleo lumen extinguitur, exciſa radice arbor areſcit: ita deferuefacto in cordibus noſtris ardore charitatis, viuificator ille Spiritus ſuo carens alimento diſcedit. Ipſa vitalis dicitur ſuccus, oleum pretioſiſſimum, inuiſibilis vnctio. Ex ipſa omne virtutum germen emittitur, omnis cæleſtiũ donorum copia, tamquam rami arboris ex vna radice, procedit, omnis prodit noſtrorum affectuum, lacrymarumq. fœcunditas.[b] Per ipſam denique militans Eccleſiæ corpus triumphat in cladibus, augetur inſectationibus, ſanguine martyrum ſemper irrigatur, triſtitia magis erigitur, dilatatur anguſtijs, fletibus paſcitur, ieiunijs reficitur, & inde potius creſcit, vnde deficit mundus. Neque his immenſa illa, diuinaq. largitas fuit circumſcripta cancellis. Quamquam enim ea, quæ hactenus dicendo percurrimus, ſatis [c] eſſe videantur ad ſalutem animarum, huiuſque corporis firmitatem; maxime tamen ad eius incrementum, & dignitatem interſunt innumerabilia illa honeſtamenta decorum, quæ ſi deſint, nulla poteſt eſſe perfectio charitatis: cum eius propria natura ſit, non ſibi ſolum frugiferam eſſe, ſed & alijs fructuoſam. Ex hoc fonte manant ſplendidiſſimus omnium humanarum vocum concentus, potentiſſima virtus miraculorum, prudentiſſima rerum prædictio futurarum, quibus ita exornata fulget Eccleſia, vt nihil ad pertrahendos hominum animos admirabilius, nihil ad eorum alliciendas voluntates iucundius, nihil ad latentis tamquam in ſpeculo diuini ſplendoris demonſtrandam vim poſſit eſſe præſtantius. De hac inquam vbertate munerum, aliorumque munificentia donorum vberius etiam eſſet agendum: verum quia magnopere vereor ne latius prouehar, quam huiuſmodi patiatur humanitas, orationis meæ vela contraham. Gaudeat igitur vniuerſa terra; quia hodie facta eſt cælum: nemo huius gratulationis eſt expers, quia iam Spiritus Dei,[d] vti promiſit, ſuper omnem carnem effunditur. Lætetur omninm fidelium cætus, quia iam habet e cælo pignus hæreditatis ſuæ, atque illum militiæ ducem, cuius ope, & conſilio facillimum ſit de immaniſſimis hoſtibus triumphare. Quod ſi nemo

a Rom. 5.

b Caſſiod. ſuper Pſ. 1.

c S. Bern. ſup Cant. ſerm. 18.

d Ioel. 2. Act. 2.

 eſt

eſt, qui non innato exultet gaudio, vbi ſuę ſtirpis illuſtriſſimus ortus, & maiorum ſuorum præclara narrantur inſignia: nulla gens, quæ cum, vel Vrbis, vel Principis natalitius agitur dies, non maxima præbeat ſigna lætitiæ: quid celeberrimam, & cunctis gentibus admirabilem Chriſtianam Rempub. efficere par eſt, quæ feliciſſimis cœpit auſpicijs, creuitque in tam immenſam magnitudinem, vt breui tempore Imperij Romani ſplendorem obſcurauerit, & cuiuſcumque nobiliſſimæ reipublicæ formam, ſiue inter homines conſtitutam, ſiue ſapientum virorum mente comprehenſam, infinito interuallo præceſſerit. Iure igitur, iure inquam optimo hoc præſtantiſſimum beneficium Eccleſia Romana agnoſcit ſuum, conceptamque animo lætitiam gratulatione publica exprimere, & quocumque poteſt orationis officio prædicare contendit. Quæ cum prius eſſet carnificina ciuium, efferatorum hominum receptaculum, præda tyrannorum, ſilua denique frementium beſtiarum, nunc effecta eſt placidiſsimæ quietis conſeruatrix, ſapientum virorum alumna, bonorum omnium commune perfugium. Gaudete vos, Patres Ampliſſimi, quia, in officium, & dignitatem Apoſtolorum ſubrogati hodie hæredes eſtis cæleſtium donorum. Lætare tandem, Pater Beatiſſime, maximamque concipe animo iucunditatem, quia ſicut Chriſtus Caput eſt Eccleſię, quam ipſe intimo ſpiritu moderatur, atque fæcundat: ita tu eiuſdem poteſtatis Vicarius, & Miniſter, vt legitimus Petri ſucceſſor, conſtitutus es aſpectabile Caput, in quo diuinus ille Spiriritus, iam perpetuus huius corporis habitator factus, principem ſedem tenet, vt quicquid chariſmatum, & diuitiarum in corporis membra ab æterno diuinitatis fonte Diffunditur, per te fluere fateamur.

D I X I.

AD

Digitized by Google

OCTAVII CVRSINI EPIGRAMMA.

AEtherei cum celſa petunt fulgentia coeli
Sydera, collucent nobiliore coma.
Factaque purpureo ſpondent fulgore benigna
(Venturi Lagides præſcius id cecinit.)
Tuque, Heros inuicte, nouum decus addite Romæ,
CLEMENTIS celſa ſede locatus ope
Maiori virtute micas: Latijque ſerenas
Spes auges; orbi nunc meliora para.

Ad eundem Epigramma.

FRANCISCI ROGERII.

TOrpenti ſenio friget mæſtiſsima virtus,
Et deflet neruos debilitata ſuos.
Sub niue canorum nulla eſt ſcintilla vigoris,
Vis animi effæto corpore preſſa iacet.
Dum calet ingenium, dum ſanguine læta iuuenta,
Te Princeps, laudum ſedula cura iuuat.
Nil niſi magnanimum generoſa mente capeſſe:
Rara graues animos lumina, rara decent.
Ne dubita; ſummis aderit vigor igneus aſtris:
Inde tibi valido pectore robur erit.
Ignis agit ſemper, non quærunt otia flammæ:
Principis ingenium nobile ſemper agit. *Aliud.*
Regibus æqualem cum te tua purpura reddat,
Omnia ſunt animo regna minora tuo.
In tibi natiuas defixus lumina ſtellas
Par Cælo Iuuenis deſpice vile ſolum.
Iam ſatis obſtupuit vario ſermone loquentem
Roma iuuet Cæli mox didiciſſe ſonos.
Multiplices hominum diuerſo murmure linguæ,
Vnica apud ſuperos ignea lingua viget.

Ad Eun-

PETRI MARIONI EPIGRAMMA.

O Spes purpurei, Silueſter, honorque ſenatus,
Cui vis in tenero corde ſenilis adeſt.
Votorum ſi vis cumulos implere, nec ægræ
Semper inexpletam mentis habere ſitim:
Imbibe cæleſtem totis, precor, oſſibus ignem;
Et ſacras caſto pectore conde faces.
Nil erit vlterius toto quod in orbe requiras:
Omnia habet, meruit quiſquis habere Deum.

Ad eundem.

BERNARDINI SCALAE EPIGRAMMA.

Sacræ cui flammæ inſinuat per pectora ſenſus,
Si grauis arguto ludit in ore lepos:
Quam bene de Dio tibi flamine ſermo dicatur,
Neſtoreus docto cui fluit ore ſonus.
Illa etenim vultus maieſtas, illa venuſtas,
Lumina ſunt, ſacro quæ fouet igne Deus.

Ad Eundem.

De Spiritu Sancto Epigramma.

POMPEII MARIONI.

IGnis in effigiem diuinæ ſpiritus auræ
Crinibus adſiſtens pectora caſta beat.
Nempe Deum quia mille potens incendia miſcet
Cordibus in noſtris ignea forma iuuat.
O Iuuenis, qui digna Deo ſub corde parare
Hoſpitia exoptas, igneus eſſe velis.

FINIS.